



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XVII. Augusti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Clara de Monte falco quadrima ante ob-
vias B. V. icones procumbebat, in his eam
salutatura. In Agone Angelum ad se venien-
tem, ut suum Deiparam videndi desiderium
eidem nuntiaret, rogavit, & impetravit, cœ-
lum enim ante mortem apertum vidit, &
Deiparam ibidem aspexit. *Isid. Moscovius.*
Quidni morientem suscipiat Virgo, quam ser-
vam experta est viventem.

S. Clara quod tu olim, idem ego hodie per
Angelum Deiparæ nuntiatum velim, ut ubi
resoluto corpore hinc emigraverit anima, in
beatas sedes recipiatur, sed, utinam paribus ac-
tū petitionem meam certam reddere operibus
coner, Tu pia Virgo juva fragilitatem meam.
O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissi-
ma! ego N. indignissimus filius tuus ex toto
corde, omnibusque tam corporis, quam ani-
mæ viribus centies millies, imò infinities te
saluto: te omni possibili omnium possibilium
& actualium creaturarum affectu amare,
&c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: S. Angelum me-
um tutelarem rogabo, ut meas hodie ad MA-
RIAM petitiones deferat, & impetrare con-
etur assensum.

O fœmina plena, & super plena gratiâ, de
cujus plenitudinis exundantia respecta sic re-
virescit omnis creatura. *Rich. à S. Vict.*

Quæstio: Quo morbo defuncta fuerit Dei-
para? *v. Barri. c. 51.*